



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**D. D. Emanuelis Gonzalez Tellez, In Inclyta Salmanticensi
Academia Collegii Majoris Conchensis Alumni, &
antiquioris vespertinæ Sacrorum Canonum Cathedræ
propriarii Interpretis; in Pinciano Sanctæ ...**

Additis Notis uberioribus ab Historia, & Chorographia

Complectens Librum Tertium

González Téllez, Emanuel

Francofurti Ad Moenum, 1690

Capvt VII. (a) Lucius III. Magistros & Fratibus Militiæ S. Jacobi.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74526](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-74526)

CAPUT VII.

(a) Lucius III. Magistro & Fratribus Militie S. Jacobi.

Vestra devotio duxit inquirendum, utrum vobis Ecclesias Parochiales aduentibus, utile sit Missas eorum audire, qui concubinas habere creduntur. De hoc enim videntur sacrorum canonum sententia emanasse. Alicubi enim dicitur: Nul- lus audiat Missam presbyteri, quem scit indubitanter concubinam habere. Alicubi legitur: Non potest quis, quantumcunque pollutus, divina sacramenta polluere, quae purgatoria cunctarum pollutionum existunt. Quicumque enim sacerdos sit, quae sancta sunt, coinquinare non potest. Sumite ergo ab omni sacerdote inirepide Christi mysteria, quia omnia in fide Christi purgantur. Caeterum aliud crimen est notorium, aliud occultum. Notorium diffinitur, de quo presbyter canonice con- demnatur: occultum quod adhuc ab Ecclesia toleratur. Item aliud est a talium of- ficiis abstinere, ut peccandi licentia caeteris auferatur, & hujusmodi ad poenitentiae fructum trahantur: atque aliud, si tanquam falsa in fornicatione jacentium talia my- steria respuantur. Sine dubitatione itaque teneatis, quod a clericis, & presbyteris, quatenus fornicariis, quamdiu ab Ecclesia tolerantur, nec est crimen evidens, licite audiuntur divina officia, & alia recipiuntur ecclesiastica sacramenta.

NOTÆ.

(a) *Lucius III.* In secunda collectione, *sub hoc tit. cap. unic.* legitur Lucius III. ex Concilio Magunt. sed male: in hac sexta collectione, & post Concilium Lateran. p. 501. cap. 38. habetur, Magistro; & Fratribus Militie sancti Jacobi; quam inscriptionem retinendam esse jam notavit Cujacius in praesenti. Circa institutionem, & confirmationem ordinis Militie S. Jacobi de la Spatha in Hispania, varia adduxerunt Historici nostri; illud certo liquet, Ordinem hunc jam fuisse institutum per annos 1030. ut con-

stat ex verbis cujusdam privilegii in favorem monasterii Salmantini monialium Sancti Jacobi; quod pro foribus Ecclesie litteris deauratis est transcriptum; quodque referunt, originem, & progressum hujus Militie prosequentes; D. Franciscus de Vergata & Alaba; in supremo Castelle Senatu; & Inquisitionis Consiliarius egregius; P. Andreas Mendo *de Ordinibus Militariis disput. 1. q. 6. per totam.* D. Petro Fernandez de Fuente-Encalada; primo hujus preclari Ordinis Ministri; & ejus Fratribus Lucius in praesenti rescribit.

CAPUT VIII.

(a) Innocentius III. Oxomen. Episcopo.

Tua nos duxit fraternitas consulendos, si de clericis publice concubinas habentibus, qui quando conveniuntur a te, se esse concubinarios diffidentur, nec apparet contra eos legitimus (b) accusator, credendum sit testimonio bonorum virorum, inter quos vivere dignoscuntur. Nos igitur consultationi tuae taliter respon- demus, quod si crimen eorum ita publicum est, ut merito debeat appellari noto- rium, in eo casu nec accusator, nec testis est necessarius, cum hujusmodi crimen nulla possit tergiversatione celari. Si vero publicum est, non ex evidentiis, sed ex (c) fama, in eo casu ad condemnationem eorum sola testimonia non sufficiunt; cum non sit (d) testimoniis, sed testibus judicandum. Sed si de clericis illis talis habeatur suspicio, ut ex ea scandalum in populo generetur, licet contra ipsos non apparuerit accusator, tu tamen eis canonicam potes (e) purgationem indicere; quam si praestare noluerint, vel defecerint in praestanda, eos canonice potes animadversione punire. Datum Later. v. idus Maji.

NOTÆ.

(a) *Innocent. Oxomensis.* Ita etiam legitur in tertia collectione; *sub hoc tit. cap. 1.* In Epi- stolis vero Innocentii edicis a Sireto, fol. 310. legitur Oxomen, ex textus autem serie dedu-

ci non potest utra ex his inscriptionibus re- tinenda sit, & an de clericis Angliae, ubi extat Ecclesia Oxoniensis; an vero de sacerdo- tibus Hispaniae, ubi reperitur Oxomenis, lo- quatur Innocentius III. Credo tamen legendum esse Oxomensis, tum ob fidelitatem praedicti co- dicis,